Epistola 190. IOHANNI COCCEJO IOHANNES BUXTORFIUS. 257

S. P. Vir Reverende et Clarissime,

Qui has tibi offert, est D. Johannes Zwingerus, D.D. Zwingeri nostri b.m. Filius, SS. Theol. St. Avidus ille fuit, postquam aliquandiu Genevae vixisset, ubi et Ministerio Ecclesiae Germanicae aliquandiu functus fuit, Belgii quoque vestri videndi, inductus potissimum celebritate et Academiarum et illustrium earum luminum, ut quos in libris hactenus admiratus est, eos coram quoque videre et audire possit. Eum itaque Tuae perspectae humanitati et benevolentiae de optima nota commendo. Satis laudabiles in Theologia fecit progressus, quos ulterius ex doctorum virorum congressu et disciplina provehere annititur. Deus conatibus ejus adsit, ejusque iter et studia sua favore et gratia ubique comitetur et prosequatur.

Quos hac hyeme in Helvetia nostra motus habuerimus, fama sine dubio ad vos quoque detulit. Per Dei gratiam singularem autem sunt magna ex parte sedati, eousque saltem, ut milites ex omni parte exauthorati ac dimissi, loca occupata restituta, novae munitiones destructae sint, omnium etiam injuriarum ἀμνηστία perpetua sit sancita: quae restant, proximis in comitiis plene decidentur. Deus id quoque largiatur ex voto, et pacem velit esse ratam firmam, diuturnam, et stabilem. Bellum, ut nostro hic Basileae judicio per[illegible] minus zelo fuit susceptum, ita a nostra parte non satis ex voto gestum, neque etiam magno nostro cum honore finitum. Potiorem tamen duximus pacem tolerabilem, quam continuatione belli felices pene nostras regiones, in extremum periculum et exitium conjicere. Quod certe factum esset, ni tanto cum zelo nostri Proceres conciliationem partium dissidentium, et pacem urssissent: uti ex D. Zwingero plenius audire poteris. Deo pro hoc beneficio sit immortalis laus et gloria.

Vestram urbem a Peste graviter aliquandiu vexatam, Dei gratia liberatam, vobis gratulamur: Deo etiam gratias agimus, quod quibusdam licet communi calamitate abreptis, potioribus tamen et primariis luminibus parcere voluerit, idem vos imposterum quam clementissime protegat, et diutissime conservet.

Quid in publicum labores, expecto e tuis intelligere. Mea studia variis occupationibus ita distrahuntur, ut nec per has, nec per aetatem, nec per valetudinem mihi liceat eâ, quâ olim alacritate, pro publico laborare. Satisfaciendum est officio, habenda ratio valetudinis. Interim quaedam parata habeo, quaedam subsecivis horis adorno, quae, ubi Typographus commodum fuerit, luci dabo. Inter ea est Critica sacra Variarum lectionum Hebraicarum, ad quam in [illegible], et alia. De Capelli novis molitionibus ab aliquo tempore nihil audio. Scribit, si faciet. In Anglia esse quosdam audio, quibus adhuc Critica ejus placet: sed qui argumentum hoc plane non intelligunt: alibi vix ullos applausores habet.

D. Duraeus hac hyeme fuit in Anglia: hac aestate forte vos eum videbitis. Multa solet polliceri, de quibus tempus docebit. Caetera quae hic geruntur vel gesta sunt D. Zwingerus coram referre poterit. Hisce Vale Vir Cl. et me amare perge. Dat. Basil. d. 11. martii 1656.

Tuus omni officio et cultu

Jo. Buxtorfius.

Viro Reverendo et Clarisso
D. Johanni Coccejo, SS. Theologiæ
Doctori, et in Academia Leydensi Pro-
fessori celeberrimo, Amico plurimum
honorando.

Leydam.